QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis XII. *Calendas Februarii* MDCCXII.

M. CLAUDIO DU FRESNE, Doctore Medico, Præside.

An Variolarum tutior per diluentia sanatio?

I.

CONTINUÆ febris, quam vitiosus in vasis stagnans humor concitavit, variolæ nonnunquàm crisis: harum eadem quæ phlegmones suppurandæ symptomata & idem solutionis modus: quotuplex enim cuivis parti corporis, pustula insidet, totuplex illic movenda & expectanda suppuratio; alioquin summè metuenda versùs nobiliora corporis παλινδρόμη. Crisim istam & paucitas materiæ in apostema erumpere gestientis, & benignior crasis sanguinis, & cuticulæ mollities accelerant: hinc nihil est quòd mireris vel uno die & efferos turgentis illius humoris motus componi, & ejus secerni corruptelas, & in cutem erumpere. Quorum è contrà sanguis sero nimio effætus est & vapescit eòque vel sale acido fixior, vel acriori efferatior: quorum pulmones assiduis imbribus, inprimis austrinâ tempestate, fœtus & gravis aër diutiùs permeat: quin & ipsa victûs ratio exlex, præpostera & perturbata succos crudos invehit in viscera, qui in omnes vasorum recessus abrepti, æstuant: horum ut immani viscera diù torrentur incendio, sic purulenta materies siccior aut viscidior partibus hæresit: tollitur spes omnis criseos, simul & salutis: hinc illos lumborum dolor excruciat, mictus sanguinis aut intolerabiles anxietates, febris atrox, cujus symptomata nec ipsi parcunt cerebro: horum mens ipsa hebescit sensuum torpore lethargi prænuntio: vix micat arteria, vix ducitur spiritus, &c. Felices quibus hæmorrhagia, aut secernendi humoris vomitio, imminentis eruptionis spem dederint, aut medico suffecerint indicationes illius ociùs promovendæ.

II.

JAM nulli mirum quòd tam numerosæ, ab anno & ampliùs, morisque adeò dubii homines afflixerint variolæ. Ubì alium non habebant morbum sibi comitem, sanguis oleosus erat, plurimóque sulphure diluto quidem at nimìs evoluto dives. In infantibus crassioris sed mollioris texturæ, pituitâ plurimâ propter ingluviem diffluentibus plerumque variolæ simul cum morbillis erumpebant: ne tamen in illius generis censum adscripseris maculas crebriores rubras, latiores quæ rariorem infantulorum cutim cum cuticula strictiore deturpabant & medicis oscitantibus illuserunt: sexto namque ad summum die cum febre obliteratæ in squamulas furfuraceas abierunt eroso solùm epidermate, ni naturam corrigere satagentem, hanc sanguinis ad inflammationem prædispositi diathesim calidiora diverterent. Sanguis in aliis æstuabat quasi comminutus sale arsenicali acerrimo: detritis ejus indè principiis & laxato si non dissoluto vinculo, fibræ laceræ è vasis erumpebant, aut, in cumulum congestæ, facessebant in cancros, apostemata, anthraces ferales: aut, pro sua partiúmve qui-

bus inhærebant varia indole: in ſkirrhos internos : tunc prodibant maculæ purpureæ variolis interſperſæ. In aliis alia ſcena, aliud ſymptomatum choragium. Vaſis incubabat, præcipuè in pinguioribus magna pars materiæ viſcidioris, & ejus ſanguiniſque ſerum ſalſum paulò acrius veſiculas infligebat ad eryſipelatis, herpetis miliaris aut ambuſti veſicas accedentes. Ichore effuſo acerbior pruritus vexabat : torquebant ea ferocia ſymptomata quæ non erumpentis quidem abſceſsûs, ſed clam parantis inſidias prænuntia ſunt. Scruteris altiori indagine tot malorum cauſas? Præſto tibi erunt revolvendo hiemis & veris ſuperioris vices: utraque tempeſtate imbres, auſtro, vel aquilone flantibus, nimis diſſolutum aëris ſalem ſecum abripuere : eundem tetris halitibus inquinarunt, quos, vel ducendo ſpiritum, vel cibos ingerendo, liquida corporis copioſiùs in ſe ſuſceperunt & combiberunt: ſales quibus iſti vapores erant gravidi, ſanguine diſſoluti, vim omnem in ejus fibras quæ maſſæ liquorum innatant viſcidæ, tomentoſæ, & quas non ineptè dixeris ſucci nutritii receptaculum, exerebant ſolas ut potè ſuppurationi habiles: tùm variè inficiebant modò cogendo modò rodendo, non verâ tamen illarum, ſed deleteriâ & internecinâ ſolutione pro ſui & ſuccorum charactere. Undè autem poteris efficax ſubſidium repetere ad deturbandas & extrudendas tot liquidis noxas illatas? ni dilutas molliorèſque redditas putres has particulas à centro ad peripheriam motus cordis impulſivus propellat, ni diluentibus fibræ flexiliores & pori laxiores propulſis iis & exituris viam citiorem præbeant & patentiorem.

III.

PLURIMI luctuoſo ægrorum fato hanc operam à catharticis expectandam audentiùs voluerunt. Purgare, ſecernere eſt, ideóque natura morborum medicatrix dicta, quòd ſecretio ſit ipſius opus. Medicamentorum ſtimulis illa quidem concitatur, at plerumque moleſtiùs : contumax, nihil deponit, nihil ſecernit, ab opere ſuo præpoſterè diſtracta, interturbata. Quoties quæ foràs pulſandæ erant fæces ad ultimos corporis receſſus ſolidis per medicamenta infiguntur? Quoties intricantur illic? Natura è contrà inutilia quibus premi poſſet ſtudioſè at pacatè ſecernit & ſuperflua, quorum ſolummodò quandiù ſit ſecretio, tandiù firmatur ſanitas, firma conſervatur, præcavetur morbus & ſolvitur. Aër quem vel inviti ducimus, cibi ipſi, varium corruptelæ genus in ſanguinem invehunt, quam corpus inſenſili tranſpiratione aſſiduè extrudit. Cave ne deficiat, cave ne langueat, & ubì languet attende: vaſa intumeſcunt, fibræ criſpantur, riget earum elater, ruit, diffringitur. Sequere naturam ducem: quandiù ſibi permittitur, tepenti aëris afflatu poros ampliare & per hos blandam movere diaphoreſim ſatagit amico ſibi & mutuo ſolidorum & liquidorum in invicem motu; At æſtuante cœlo ingeſtis copioſiùs calidioribus, ſpirituoſis, volatilibus, aut exercitatione vehementiori irritata, habenas laxare cogitur, & ſudoribus diffluere, qui ſi naturæ non ſunt ſemper motus inſenſiſſimi, ſaltem non naturales judicandi. Deprehendiſti ægrum laborare variolis,& liquidorum molem turpi cœno obrutam, tardiùs manum auxiliatricem porriges? nec ociùs juvabis? Benè memor dogmatis Hippocratici *quò natura vergit eò ducere oportet*, quâ viâ & ratione molitur ſecretionem, hâc inſiſte & perge. An non diluentibus viſcida & lutulenta fluida attenuabis? An ſpem ſalutis in tritura collocabis? Ea, neglectis diluentibus, vel nulla eſt, vel infidum præſidium. An non fluxiles facti humores liberiùs & citiùs præterlabentur incernicula? Tùm ſanguine à fæcibus libero cæteríſque liquidis quietè fluentibus, motus tonicus ſolidorum reſtituitur, revocatur ſanitas.

IV.

DILUENTIUM variæ acceptiones : diluunt enim quæcunque partes materiæ compactiores ab invicem ſejungunt, & in hoc cum ſolventibus con-

veniunt, adeóque non in liquidis modò, sed & in solidis quibusdam diluendi vim liceat agnoscere; diluunt quæ rigidiores materiæ particulas flexiles reddunt & asperiorem illius superficiem quâ adhæret & infigitur poris partium quibus obviàm itur, lævigant, quod liquidorum & humectantium proprium; diluunt quæ humores ad coctionem præparant: dilutione namque salia heterogenea, quibus humores morbos parere consueverunt, obtunduntur, & materia sana à nocente secernitur, quæ hujus coctio est: hinc Divino seni *concocta medicari oportet, & ubì corpora purgare volueris, fluida reddes.* hîc diluentium vis maximè examinanda, nec enim calidis semper humor coquitur, non semper illa secernunt utile ab inutili, nec semper quæ noxia sunt foràs pellunt: è contrà sæpiùs urunt, exsiccant: horum usu fibræ convelluntur potiùs quàm flectantur, irrorentur: testem habes calorem febrilem, qui copiosissimos & si sudores moveat, iis tamen non, aut rarissimè expellit morbi materiam, quia non *qualia oportet* sudoribus iis vacuantur: refrigerantibus persæpè laus ipsa debetur, hæc enim nimium, qui intùs urit calorem, & sanguinis effrænem motum, in quo humorum quorumque confusio, moderari nata sunt. Placet tibi neotericorum sermo? Diluentia fermentationes sedant, effervescentias componunt, nimios sanguinis humorúmque motus compescunt. coagulationes præpediunt, lentiorem è contrà accelerant vim, singulorum acredines demulcent exaltata nimiùm sulphura deprimunt, solidas flectunt partes, sícque in singulis eam in qua sanitas est & per quam redit harmoniam conciliant. Quid aliis opus ut variolæ tutò & feliciter sanentur: diluentia motui naturæ favent, quæ succis ditare corpus lenibus, aqueis, fluidis & qui humectent, tota semper attenta est, ut illorum ope sanguinis motus liber, solidorum, id est vasorum elater flexilis persistat, ac proindè in utrisque æquilibrium perseveret quo viget sanitas. At acuto quo tunc pressa morbo per ἔκκρισιν quamcunque liberari impotens (nemo namque nescit quantùm noceant hìc sudores nimii, copiosior sputatio, & alvi liquidior dejectio & frequentior) ab eo per ἀπόστασιν id est per abscessum exsolvere se nititur, cujus tuta & felix in tantùm sanatio est, in quantum dilutus humor anteà præ cruditate crassior, asperior, totus, & si non confertim, ad extremam usque cutim pulsus, colligitur, hìc ultimò coquendus, quia ibi & integrâ suppuratione absumitur, Quàm graviter ergò errant qui variolosos affectus, undevis oriantur, curandos suscipiunt intentatâ pustularum suppuratione, imò devitatâ, & ideò pulveres cardiacos exhibent, aut diaphoretica oggerunt, quibus materiæ illarum portio tenuïor & liquidior discutitur quidem, dùm crassior intùs retenta & coërcita siccatur, uritur, novas in interioribus (pectore dixerim aut cerebro, ulcere numerosissimo consumtis aut obsessis Sphacelo) nec ab arte medicabiles noxas illatura. Undè *non morbi cessatio sed laboris mutatio fit*, ut ait Celsus. Nùm graviùs peccant qui præposteris vacuationibus quibuscunque & naturæ motum & humoris audent divertere, ad Hippocratis monita non attenti, qui *in iis quæ judicantur aut judicata sunt perfectè*, pronuntiavit *nihil movendum nec innovandum sive purgantibus, sive aliis irritamentis; sed sinendum.*

V.

HÆREBIS jam ut proponas diluentia? Hæsitabis præscribere illa in cura variolarum? Quid illorum usum, si non rejicis, vis differendum? Per diluentia, variolarum materia & causæ, si jam in actum erumpant, coërcentur & vasis si furit humor, diluendo mitescet. Censes diluentibus viam per venæ sectionem parandam (Quandoquè licet, nec obsistimus: motus namque naturæ adjuvandus primùm, hinc humoris motus componendus, & quem diluentibus præbuit locum venæ sectio, exhibito post aliquot horas emeto-carthartico fac, si convenit, ampliorem: sic evacuato per plurimam partem sero impuro, quod stupendi hujus morbi præcipua est (fuit saltem frequentior hisce temporibus)

causa, ejus quod superest fiet citior, tutior & facilior ope diluentium, secretio, liberioribus scilicet indè viis, & motu secernendorum magìs ordinato: hinc mollire alvum nil recuses: minoris longè est incommodi laxior, quàm quæ nimiùm astricta: quid enim nocentius excrementorum retentorum fixioribus sulphureis halitibus, sanguini tùm & humori cuilibet commiscendis, & in partium fibras acturis? Quas à calidioribus per os assumtis noxas pertimescis, à sulphuribus his crassioribus tibi venient expectandæ. Nihili habenda concludes, & perperàm: paucum sanitati reparandæ confert quidem non raro; sed multò sæpiùs, quod videtur paucissimum, pervertere œconomiam habile est, & morbos parit, alit, adauget & reddit immedicabiles. *Quæ mole minima, viribus quantùm valentiora!* Ad quid diluentia, reponis, in variolis, quarum phlegma crudius parens, spiritus ubique irretit, & sistit liquorum quos viscidiores reddit, motum, cardiacorum usu volatiliúmve, si non uno, saltem ut efficaciori renovandum. Volatilibus solvetur phlegma, inquies', & errabis: à salibus heterogeneis taliter concrescit lympha, calidioribus ulteriùs concentrantur salia quæ liquidis immerguntur; confusos, tumultuosos & incendiarios volatilia in spiritibus motus concitant? efferatiori sursùm motæ bili non impares, undè deliria, phrenitis: hos diluentia moderabuntur; partibus ex se nervosis & ad contractiones de se dispositis & variolarum putri materiâ copiosâ & pungente irritatis convulsivos inferent subsultus calidiora? diluentium usu conquiescent. Verùm per diluentia laxior quia redditur fibrarum tonus & debilior, undè decumbentis materiæ & abscedentis intùs occasio, firmari indiget, ut foràs hanc expellere valeat. Quis tunc non præscripserit absorbentia, cardiaca, confectiones, pulveres bezoardicos, viperinos, &c. in quibus roborandi vis maxima? Admittemus & quandoquè in pueris & humidioribus modò humido copioso admisceantur, à quo vim suam evolutam abundè repetant. At si abscedit humor quia fluere cessat, si cessat fluere quia crassior, viscidior, asperior, uno verbo quia crudior, *restitant enim cruda, ut matura facilè concedunt*; nec fluxuro illi favent partes suo tùm fraudatæ elatere ut rigidiori, quod in variolis frequentissimum, hunc si diluentibus remiseris, efficies flexiliorem, sicut humorem magis concoctum reddes, mitigatis ita multò tutiùs & efficaciùs salibus. Ad quid tùm absorbentia, quibuscum salium aculeos tentabis absorbere & infringere: hos adunabis potiùs, & adunatione fixiores facies & acriùs vellicantes fibras partium, nullâ jam nisi diluentium ope assiduâ demulcendas. Non ignoras quanti in iis casibus fuerit auxilii secta ex inferioribus vena: scilicèt laxabat vias, elaterem earum componebat, liquidis locum parabat quæ materiam putrem vehebant foràs. Undè conficies diluentia in variolis sola esse specifica tantò efficaciora quantò simpliciora: quippè causas undevis oriundas expugnare valentissima, & salia quæcunque nocitura, solvere si acida, aut immergere, si de alkalium indole, aptissima sunt: bilem aut crudam, aut ex volatili oleosa factam acrem salinam plus minus evolutam, adustam, lixivialem corrigere humectando, & reprimere ac demulcere obtundendo potentissima.

Ergo Variolarum tutior per diluentia sanatio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Raymundus Jacob Finot.	*M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.*	*M. Franciscus Picoté de Belestre.*
M. Claudius Berger Medicus Regis ordinarius, è Regia scientiarum Academia & in horto Regio Chymiæ Professor.	*M. Ludovicus Lemery è Regia scientiarum Academia.*	*M. Nicolaus Bailly.*
M. Philippus Bernardus de Bordegaraye.	*M. Petrus le Tonnellier.*	*M. Joannes Daval.*

Lutetiæ proponebat ANDREAS DELALEU Parisinus, Baccalaureus Medicus.
A. R. S. H. M. DCCXII.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1712.